

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput CIV. Describens Reditum Septuaginta Discipulorum Emissorum,
Gaudium Christi Spirituale, Et Beatitudinem Discipulorum. Luc. 10. v. 7.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

cordibus, & stridebant dentibus in eum, & postea irruentes in ipsum, eum extra urbem eiecerunt & lapidarunt.

Quomodo vero Christus hic evasit? De eo Evangelista hoc annotat. *Jesus abscondit se, & exiit e templo, pertransiens per medium illorum, & ita praeiit.* Duo de ipso dicuntur, quorum unum est infirmitatis humanæ, quod *se abscondit: alterum divinæ virtutis & potentiae, quod transiens per medium illorum, praeiit.* Quod eodem modo factum esse intelligo, quo illud, quod Nazarethi Luc. 4. v. 30. accidit, & in cap. 34. Harmoniæ hujus expositum est. Quod nimirum ad primum lapidationis impetum Christus quidem se modicum abscondiderit: mox tamen se vertit, & non per alium locum ex templo exierit atque evaserit, sed per medios Phariseos & Sacerdotes, qui ἐκκλιῶσαν αὐτὸν & circumcirca cinxerant, abierit, & quidem ita, ut à nemine nec prohiberetur, nec comprehenderetur, nec læderetur. Viderunt ergo non tantum ipsum abeuntem, sed etiam divinam ejus potentiam senserunt, si forte

adhuc aliqui ipsorum flecti possent. Neque enim Christus vel minimam occasionem internisit, etiam acerrimos suos hostes convertendi. Usque adeo fit salutem humani generis. *Exiit ergo e templo, atque sic Judæis suum templum, Pharisæis nugis repletum, vero autem Messia vacuum reliquit.* Idem hodie fit apud omnes, qui verbi divini & sacræ scripturæ hostes deprehenduntur. Habent illi quidem templa sua, eaque interdum satis nitida, ampla & spaciosa: sed si Christo destituantur, nihil aliud sunt, quam delubra Antichristi. Talia sunt templa Papistarum in quibus Canonici boant, presbyteri sacrificant, æditui thura adolent, pueri cereos accendunt, interim de Christo & sancto ipsius Evangelio (quod solum est illa sanctitudo, quæ domum Domini docet in longitudinem dierum. Psal. 93. v. 5.) altum est silentium. Sunt ergo illorum templa proprie sepulchra, in quibus mortui mortuos sepeliunt. Retineamus nos in nostris templis Christum cum suo verbo, ut per illud vivificati vivum Deum laudemus per Christum in secula. Amen.

CAPUT CIV.

DESCRIBENS REDITUM SEPTUAGINTA DISCIPULORUM EMISSORUM, GAUDIUM CHRISTI SPIRITUALE, ET BEATITUDINEM DISCIPULORUM.

LUC. 10. v. 7.

RATIO ORDINIS.

Uotquot ex omnibus Ecclesiasticis Doctoribus, tam veteribus, quam neotericis, Harmoniam Evangelicam scripserunt, illi mox 8. Johannis capti 9. una cum magna parte 10. subjungunt: ac si Johannes totius trimestris historiam, ab initio Scenopegias ad festum Encaniorum usque continue descripsisset. In eo tantum differunt, quod alii quidem hasce historias, emissioni & reditui septuaginta discipulorum præponunt, alii vero easdem postponunt. Et si vero grave est à vulgari hac & quidem tot clarissimorum virorum autoritate comunita sententia recedere: hic tamen rationes non contemnendæ subesse videntur, ob quas bona cum ipsorum pace ab ipsis dissentire liceat. Neque enim i. vere simile est, Christum, qui ante Hierosolymam sesquiannum integrum vitarat, eo quod ipse incolas necem suam meditari novisset, jam post sublatis lapides tres fere menses continue ibi hæsisse, nec quicquam memorabile egisse, excepto unico miraculo de sanato cæco nato, & una concione de bono pastore. Et si maxime quis dicere vellet, Christum Hierosolymis tantisper delituisse ob furorem, quem præcedenti capite re ipsa Judæi commonstrarint: non tamen hoc convenit cum officio Christi, qui fuit lux mundi, & quem oportuit non latitare, sed hodie, cras, & sequenti die ambulare Luc. 13. v. 33. sicque indefinenter officio

suo fungi in salutem hominum. Unde etiam ipse dicit Johan. 9. vers. 4. Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est. 2. Si Jesus ad festum Encaniorum usque Hierosolymis mansisset statuatur, supersunt in reliquis Evangelistis, & potissimum in Luca tot historiae, quæ in residuo trimestri vel quadrimestri, ad passionem usque, non commodo ordine collocari possunt, nisi quis nimis anguste eas omnes coarctare velit. Sic igitur sunt ordinandæ, ut & ante Encaniorum festum & post illud Christum nunquam ociofum fuisse pateat. 3. In Luca adhuc bis ante passionem mentio fit Christi iter facientis in Hierusalem, semel Luc. 13. v. 22. altera vice Luc. 17. v. 11. & quidem hoc postremo loco iter suum ita instituisse dicitur, ut quasi Hierosolymis veniens, prius Samariam & post hanc Galilæam peragraret. Unde necesse est distributionem historiarum ita instituere, ut post festum tabernaculorum Hierosolyma discessisset, & ad minimum semel ante festum Encaniorum eodem rediisse intelligatur. 4. In historia sanati cæci nati dicitur Johan. 9. v. 22. Judæos conspirasse, ut si quis confiteretur Jesum esse Christum, ex Synagoga eijceretur. Hoc autem decretum absque dubio fecere, post superiorem illam acerbam *σύρραξιν*. Ad ipsius vero publicationem Christus ipsis locum concessit, ad tempus aliquod Hierosolymis discedendo. 5. Necesse quoque est, ut ne obliviscamur

mur

mur ejus, quod in emissione septuaginta discipulorum dictum est, quod eos miserit ante faciem suam in omnem locum quo ipse venturus erat. Miserat autem eos in Judæam, Samariam, Galilæam, Peræam: quæ loca omnia quia Christus adhuc semel ante passionem perlustrare volebat, satis multum temporis ad illud perficiendum requirebatur. Quod ipsum tamen commode fieri potuit, si unam partem ante festum Encaniorum, reliquas vero post illud festum visitavit. Sic ergo, salvo tamen judicio eorum qui acutius cernunt, historiam vitæ Christi in posterum ordinandam esse judico, ut nuperæ concertationi subjiciendum censeam, non miraculum sanati cæci nati, sed reditum septuaginta discipulorum. Neque enim existimandum est, quia Johannes priorem disputationem hisce verbis conclusit, & ita præterit: historiam autem sanati nati cæci hoc modo orditur, & præteriens Jesus vidit hominem, quod propterea hoc miraculum statim contigerit, postquam Dominus exiret de templo. Sicuti in hac sententia fuit D. Chrysostomus. Dubitare enim quis potest an Jesu exeunti discipuli (exceptis Apostolis) affuerint. Sanato autem cæco omnino affuere. Sed hoc saltem voluit Johannes, Jesum aliquando, cum præteriret Jerusalem, vidisse illum natum cæcum, eum sanasse, & Phariseos novam occasionem persequendi Jesum inde arripuisse. Reditum autem septuaginta di-

scipulorum huc collocandum propterea arbitror, quia & tempus & locus conveniunt. Tempus: quia legationem à Christo injunctam intra mensis spacium facile expedire poterunt. Triginta enim quinque illa paria, in quæ LXX. discipuli distributi fuerunt, intra mensem & citius illam terram universam peragrare potuerunt. Maxime quia nullibi diu subsistendum, sed tantum regnum Dei appropinquare annunciandum fuit. Cumque octiduum ferme ante festum tabernaculorum à Christo discesserint: festo autem septimana integra tribuenda sit: cui addi potest tertia hebdomas, qua Christus diversas illas conciones, Joh. 8. descriptas habuit: ideoque in quarta septimana, quæ coincidit cum eo tempore, quo Christus egressus ex templo aliquantisper quasi delituit, triginta quinque illa paria sensim ad Christum sunt collecta, quo facto ipse cum illis rursus in publicum prodit. Locus convenientior nullus esse potest quam Hierosolyma, quo Magistrum suum prævisse omnes noverant. Ergo eodem ad ipsum rursus colligendi erant. Et quia Johannes in historia passionis cap. 18. vers. 2. testatur, fuisse Hierosolymis hortum ad montem olivarum, in quo Jesus frequenter convenerit cum discipulis suis, nequaquam dubito etiam hanc congregationem discipulorum ad suum Magistrum in eodem loco factam esse.

HISTORIA REDITUS SEPTUAGINTA DISCIPULORUM, QUANDO CHRISTUS EXULTAVIT SPIRITU.

LUC. 10.

- 17. Τρέψαντες δὲ οἱ ἐβδομήκοντα μετὰ χαρῆς λέγοντες κυριε, καὶ τὰ δαιμόνια ὑποτάσσεται ἡμῖν ἐν τῷ ὀνόματί σου.
- 18. Εἶπε δὲ αὐτοῖς· Ἐθεώωρον τὸν σατανάν, ὡς ἀστραπήν, ἐκ τῆς ἄβυσσος πείσονται.
- 19. Ἴδὲ, δίδωμι ὑμῖν τὴν ἐξουσίαν τῶν σατανῶν ἐπάνω ὄψων καὶ σκορπίων, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύσιν καὶ ἔχθραν, καὶ οὐδὲν ὑμᾶς ἔμνη ἀδικήσει.
- 20. Πλὴν ἐν τῷ μὴ χαίρετε ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῶν ὑποτάσσεται. Χαίρετε δὲ μάλλον, ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἔγραψεν ἐν τοῖς ἁεράνοις.
- 21. Ἐν αὐτῇ τῇ ᾠρᾷ ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν· Ἐξομολογῆμαί σοι πάτερ, Κύριε τῆς ἄβυσσος καὶ τῆς γῆς, ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπέκαλύψας αὐτὰ νηπίοις. ναὶ ὁ πατήρ, ὅτι ἕως ἐγένετο εὐδοκία ἐμπροσθέν σου.
- 22. Πάντα παρέδόθη μοι ὑπὸ τοῦ πατρὸς μου καὶ οὐδὲς γινώσκει τίς ἐστὶν ὁ υἱός, εἰ μὴ ὁ πατήρ καὶ τίς ἐστὶν ὁ πατήρ, ἐμὴ ὁ υἱός, καὶ ὃ ἕαν θέληται ὁ υἱός, ἀποκαλύψαι.
- 23. Καὶ εὐφραίνεται πρὸς τοὺς μαθητὰς, κατ' ἰδίαν εἶπεν μακαρίαὶ οἱ ὀφθαλμοὶ οἱ βλέποντες ἃ ὑμεῖς βλέπετε.
- 24. Λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ βασιλεῖς ἠθέλησαν ἰδεῖν ἃ ὑμεῖς βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδον, καὶ ἀκούσαι ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν.

- 17. Reversi sunt autem septuaginta cum gaudio, dicentes, Domine, etiam demonia subjiciuntur nobis per nomen tuum.
- 18. Ait autem illis: Videbam satanam sicut fulgur de celo cadentem.
- 19. Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.
- 20. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quod spiritus vobis subjiciuntur: sed gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in caelis.
- 21. In eadem hora exultavit spiritu Jesus, & dixit: Confiteor tibi pater, Domine caeli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Etiam pater, quoniam sic complacitum est coram te.
- 22. Omnia mihi tradita sunt à patre meo, & nemo scit, quis sit filius, nisi pater: & quis sit pater nisi filius, & cui voluerit, filius aperire.
- 23. Et conversus ad discipulos seorsim dixit. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.
- 24. Dico enim vobis, quod multi prophetae & reges voluerunt videre, quæ vos videtis & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

Dominum Jesum septuaginta suos discipulos ad prædicandum emisisse, cum ad festum Scenopegias abiret supra Cap. Harmoniæ XC VII. indicatum est. Quinam autem 70. illi discipuli fuerint, in sacris nusquam annotatum reperitur. Circumferunt quidam apud Volateranum & alios ipsorum nomina: & quisvis posset partim ex Actis Apostolorum, partim ex Epistolis Pauli toridem nomina colligere, sed unde nobis probabit certo illos ipsos hosce discipulos fuisse? Maxime cum Eusebius lib. 1. cap. 13. Ecclesiasticæ suæ historiæ diserte hæc verba scribat: Apostolorum quidem nomina cuius sunt ex Evangelio manifesta: Septuaginta vero discipulorum Catalogus nullus usquam fertur. Vanæ itaque jactantiæ esse videtur, horum nomina nunc demum proferre velle. Cleopham autem, Lucam, Matthiam, Barnabam, Barfabam Justum & septem Diaconos Act. 6. v. 5. ex horum numero fuisse vero non est absimile. Nihil vero propterea decedit illorum saluti, licet ipsorum nomina in terris sint ignota, si modo ad mortem usque fideles manserunt. Apoc. 2. v. 10. bonam militiam militarunt, retinentes fidem & bonam conscientiam. 1. Tim. 1. v. 19. tum sufficere ipsis potuit, quod Christus postea ipsis dicet, *quod nomina ipsorum scripta sint in caelis.* Hoc etiam solatio esse potest illis verbi præconibus & Ecclesiarum pastoribus, qui satis quidem sunt Christo Domino suo fideles, sed nomina ipsorum vix extra *ῥοισησιον* ordinariam sunt nota. Omnes enim fere sollicitè laborant, ut nomina sua passim in orbe volitent per ora viro- rum, & in omnibus tabernis librariis appensa à prætereuntibus legantur. Sed multorum ruditas & vitia hac ratione palam aliis innotescunt, quibus fatius foret in eo laborasse, ut *in caelis* nomina adscripta, in terris autem alta oblivione sepulta essent.

I. Hi septuaginta emissi revertuntur ad Dominum, ut nimirum referrent, quis successus fuerit hujus legationis. Ita in omnibus nostris operibus & laboribus, quando iussa Dei nostri adimplevimus, cum discipulis revertamur ad ipsum, agentes ei gratias pro beneficiis, quæ per nos operari dignatus est. Omnia flumina revertuntur ad mare, unde exiverunt dicit Salomon Eccles. 1. v. 7. Fons, mare & origo omnium bonorum est Deus, à quo omne datum optimū, & omne donum perfectū. Jacob. 1. v. 17. Ad hunc ergo revertamur. Reversi autem sunt *cum gaudio*, referentes legationis hujus successum adeo fuisse prosperum, ut non tantum reliqua omnia feliciter perfecerint, sed etiā quod majus est, *dæmonia* ipsis *subiecta* fuerint *per nomen*, seu *in nomine* ejus. Quod & ipsum laude dignum est, quod miraculorum virtutē & efficaciam ipsi Christo tribuunt. In quo omnes Evangelici Doctores eos imitari debent, ut omnē Evangelicæ suæ prædicationis fructum & gloriam ad Christum, quem unum habent sui muneris authorem & promotorem referant. Neq; enim qui plantat est aliquid, neq; qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus. 1. Cor. 3. 7. Atque hinc discamus, iis, qui in ordinaria ac legitima Dei vocatione ambulāt, nihil posse obstare. Perrumpunt enim per omnia obstaculā maxime etiam *dæmonia* essent, subiecta tamen *eis* forent. Expertus hoc est Moyses in sua vocatio-

ne, qua ipsi inunctum fuit, Israelitas ex durissima servitute Ægyptiaca educere, non potuere hoc impedire, nec rex Pharaon, nec regii ejus præfecti, non Magi, nec mare, non desertum, non penuria panis vel aquæ, nō deniq; populus ipse contumax & plus quam decies rebellis. Ita David à Deo vocatus & à Samuele unctus est, ut esset rex Israelis: opposuit se ei Saul toto conatu & omnib. suis viribus, filius quoq; Absolon deturbavit eum de regno solio, & Seba rebellavit: verum frustranea fuerunt omnia, David hostes suos omnes gloriose devicit. Singuli igitur sibi in sua vocatione, sive ea Ecclesiastica, sive politica, sive œconomica sit hoc accommodent, & in sumis angustiis, quando ignorant quid agere debeant, cum pio Josaphato oculos dirigant ad eum, à quo vocationem suam acceperunt: nec dubitent, ipsum mille novissis vias suas eripiendi, ubi ipsi ne unam quidem vident.

II. Christus hanc relationem à discipulis factam benigne suscipit. Quia tamen simul animadvertit aliquid carnalis jactantiæ cum hoc ipsorum gaudio concurrere: ideo illud blande corrigit, & majus gaudium de gratia Dei præsentis & de spe venturæ salutis concipi debere docet, quam de potentia pellendi Satanam. Per gradus autem progreditur. 1. Primo dicit: *Videbam Satanam sicut fulgur à caelo cadentem.* Hæc verba non eodem modo ab interpretibus accipiuntur. Alii putant Christum hic loqui de eo casu, quo Satanam in principio statim in superbiam prolapsus, projectus est à caelo, una cum omnibus angelis ipsi adhærentibus. Apoc. 12. 7. Hunc lapsum nemo hominum vidit. Christus autem vidit, tanquam æternus Deus & verus ille Michael, qui præliatus est contra magnum Draconem. Hic sensus est Theophylacti, Gregorii & aliorum. Neque ille impius vel falsus est: cum nullus verus Christianus æternam Christi divinitatem, & quod lapsum Satanæ viderit, negare possit. Videtur tamen ab hoc loco esse remotior.

Alii ergo hunc locum ita interpretantur, quod Satanam, postquam ex cœlo ob superbiam eiectus, & in caliginosum hunc mundum, donec plane in abyssum tartari relegatur, detrusus est, in hoc mundo sibi sua tyrannide & potentia regnum paravit, & quasi novum cœlum construxerit. Unde etiam *κοσμοκράτωρ ἡ σκότος τῶν αἰώνων* mundi Dominus & rector tenebrarum sculi hujus, Eph. 6. 12. Item *θεὸς τῆς αἰῶνος τῆς*, Deus hujus sæculi 2. Cor. 4. v. 4. dicitur. In hoc mundo ergo sibi ipsi apud omnes gentes sedem paravit, quas multiplici idolomania superstitionibus, & effreni quadam peccandi licentia ita fascinauit, ut totum mundum occupasse visus fuerit. Hanc ergo potentiam, gloriam & celsitudinem, quam satanas ante adventum filii Dei in mundo inter gentes habuit, *caeli* nomine Christus hic insignisse videtur. Quasi diceret: Omnino ante hæc tempora satanas passim in idolis cultus est, passim per imania vitia & nefanda scelera dominium habuit in omnibus hominibus, passim quoque omnia loca dæmoniis fuere obsessa. Sed postquam ego humanam carnem indui, atque Evangelium verbi prædicare cœpi protinus satanas ex suo regno, & nido, in quo tanquam in cœlo quopiam dominatus est, exturbari cœpit, & Ego *videbam ipsum sicut fulgur à caelo cadentē.* Hic sensus quoque pius est, & nobis con-

sideran-

siderandum proponit, quanta mutatio & innovatio totius mundi facta sit per adventum filii Dei. In veteri Testamento tenebrae operuerunt omnem terram, & caligo populos, *Jes. 60, 2.* & ibi dimisit Deus omnes gentes ingredi vias suas, *Act. 14, v. 16.* & dissimulavit quasi tempus illud ignorantia. *Act. 17, 30.* quia Diabolus in mundo, ceu in caelo suo regnabat. Sed per adventum filii Dei nova lux orta est mundo, verbum salutis etiam annunciatum gentibus in mundo, concidere idola, conticuere omnia oracula, evanuit ethnicorum Deorum cultus, expirare superstitiones & sublata est effrenis illa peccandi libido, qualis inter gentes vigeat. Hoc beneficium filii Dei grata mente agnoscamus.

Sunt denique qui haec verba ita interpretantur, ut ad praesentem legationem Christum ea accommodasse ipsis videatur. Quasi in hunc modum responderet Apostolis. Vos latibundi mihi referitis, quomodo etiam demonia vobis subsiciantur. Verum vos nihil novi aut incogniti mihi indicatis. Nam cum initio vos ad praedicandum mittebam, noveram Satanam vires ad Evangelii mei praedicationem ruituras: & quando vos Evangelium in meo nomine praedicabatis, ego tum praesens videbam, (quod vos videre non poteratis) Satanam nimirum instar fulguris cadere, & omnes ejus vires evanescere. Ethic sensus huic loco maxime convenire videtur: cui etiam inservit id, quod Dominus dixit *videbam*, non autem *vidi*. Nimirum Dominus suos discipulos in admirationem illius miraculi, quod demonia ipsis subjecta essent in nomine Jesu harentes, voluit deducere ad considerationem ejus, quod miraculum illud portendebat, scilicet effectum ministerii Evangelici, qui hic est, ut Diabolus instar fulguris ex toto suo regno ministerio verbi ejiciatur. Aptissime autem confert ruinam Satanam fulguri propterea: 1. Quia sicut fulgur in origine habet magnam lucem, quae tamen modicum durat, cito rursus extinguitur, & simul cum suo casu in tenebras convertitur: ita etiam Diabolus cum in luce gratiae & clarae cognitionis à Deo creatus fuisset, modicum temporis in ea consistens è caelo cecidit, & in tenebras exteriores detrusus est. 2. Quia sicut fulguris emicatio primo quidem terribilis est, & in omnia loca penetrat, quasi omnia accensura: sed, nisi fulmen subsequatur, sine omni damno abit: ita Satanam, quando ex regno suo dejicitur, horribiliter furit, omnes suas vires exerit, summa imis miscet, & tantum non totum terrarum orbem evertere velle videtur, sed est fulgur ex pelvi, vana est sine viribus ejus ira. Fortior enim est, qui nobiscum est, quam qui in mundo tumultuatur, *1. Joh. 4, 4.* 3. Denique, ut fulgur ex improvise emicat, subito autem & uno momento evanescit: ita Satanam quoque impetus est improvise, ut summa celeritate ferè citius evanescat, quam quis ejus impetum sentiat. Hanc itaque fulguris & Diaboli comparisonem probe notemus. Facit enim ad consolationem, quando Satanam per sua organa, Jesuitas, omnia in orbe turbare, caelum terram miscere, omnia templa de novo occupare, & Evangelii cursum magna vi impedire velle videtur. Faciant modo suum officium diligenter fideles Evangelii praedicones, experientur tales conatus esse nubeculam cito transeuntem, ut B. Athanasius de

Harm. Tom. I.

Juliano Apostata dixit, & ad ipsorum praedicationem satanam instar fulguris de caelo decidurum, & omnem ejus conatum momentaneum & evanidum futurum.

2. Huic sensui etiam inservit altera orationis Christi pars, qua hosce suos discipulos, & una cum ipsis omnes Evangelii sui praedicones nova promissione instruit, & ad futura certamina armat. Dicit enim: *Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Alludit ad *13, v. Psalmi 91.* Ubi David dicit, super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Et hoc intelligi potest primum secundum literam. Sed non eo modo, quo impiissimus Papa Alexander III. optimi Imperatoris Friderici Barbarossae cervicem impuro suo pede Venetiis ad D. Marcum calcavit. Sicque ipsa commonstravit, Romanos Pontifices ex eorum pseudoprophetarum esse numero, quos Petrus 2. Epist. 2. v. 10. descripsit, quod audaces & sibi placentes dominationes sint contemnturi. Sed illo modo, quo in historiis Ecclesiasticis saepe legimus, quod nec venena nec venenata fidelibus Christi servis quicquam nocuerint. *Act. 28, v. 3.* Vipera invasit manum Pauli, sed nihil mali ab ea passus est. Unde barbari putarunt ipsum esse Deum. De Johanne Evangelista & Apostolo historiae referunt, ipsum venenum ex calice sine omni nocimento bibisse. Ah quoties idem adhuc hodie fidelibus Christi ministris evenit, quod mirabiliter Deo protegente liberantur à venenatis, & ab omni virtute inimici. Deinde haec verba etiam mystice intelligi possunt, de satana & organorum ipsius virulentia, qua piis, inprimis autem fidelibus verbi ministris, insidiantur & nocere cupiunt, sed à Deo impediuntur. Vere Diabolus confertur serpenti: quia sub hac specie primos parentes decepit, & adhuc hodie serpentina astutia toti ipsorum posteritati nocere cupit. Idem etiam cum omnibus pravis hominibus vere confertur scorpionibus: quia venenato aculeo armatam caudam gestat, quam indefinenter in occulto movet, ut pios noxio aliquo ictu ferire queat. Denique nominat Christus *virtutem inimici*, omnes artes & vires comprehendens, quibus electis nocere eorumque salutem evertere satanas cupit: sicque indicat, diabolo nec voluntatem nec astutias, nec vires nocendi & cursum Evangelii impediendi deesse. Quod non raro pios sollicitos & pusillanimes reddit, metuentes, ne Ecclesia Diaboli malitia ex fundamentis evertatur. Verum Christus hic suos solatur, & docet per suam gratiam Diabolum nihil effecturum. Se enim jam omnem diabolicam potestatem devicisse, Satanam ex caelo exturbasse, regnum ipsius vastasse, & jam dare *ἐξουσίαν potestatem calcandi* omnes ipsius larvas. Calcandi ergo verbo Christus suos ministros non tantum solatur, sed etiam animos ipsis addit & monet, ne cum satana & ipsius squamis transigant, ne ipsis cedant, vel minimam timoris speciem de se praebeant. Hujus enim animi Diabolus est, quod cedentes persequitur, à resistentibus autem fugit. Ideo Jacobus dicit *cap. 4, v. 7.* Resistite Diabolo, & fugiet à vobis. Et Petrus. *1. cap. 5, v. 9.* Diabolus adversarius vester circuit ut leo: sed resistite ei fortes in fide. Putant quidam se in negotio religionis Diabolum ipsiusque organa placare posse, si

A a a a 4

parum.

parumper vel in hoc vel in altero articulo cedant: tum enim adversarios pacifice nobiscum victuros. Sed turpiter errant. Diabolus non cedendo placatur, sed resistendo fugatur. Si vero animadvertat se timeri, mox cristas erigit, & majori cum conatu contra pios Christicolos exurgit, sibi plenam de ipsis victoriam promittens. Resistatur itaque ipsi, & calcetur omnis adversaria ipsius vis, & Deus pacis conteret Satanam sub pedibus suorum velociter. Roman. 16. v. 20. Hæc est consolatio pro Christi discipulis, quoad effectum ministerii sui. Quam consolationem etiam olim Deus addidit Ezechieli cap. 2. v. 6. Fili hominis, increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas, sed verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides.

3. Tandem ergo Christus in discipulis id quod carnale erat in hoc gaudio corrigit. Etenim de donis Dei & felici eorum successu gaudere per se non est peccatum. Atqui Diabolus facillime tali gaudio carnalem aliquam jactantiam & animi elevationem affricare potest: quæ spiritualis superbia omnia dona, & quæcunque per illa efficitur coram Deo deperdit & ingrata reddit. Et tale quid animis discipulorum LXX. adhæsisse, ex ipsorum relatione colligere licet. Dicunt enim cum gaudio, nobis dæmonia subjiciuntur. Est humanus hic quidam affectus, per quem habent aliquam complacentiam in se ipsis, quod sibi dæmonia subjicerentur: & lætantur magis de ejectis dæmoniis, quam de fide & profectu suorum auditorum, de quo potius gaudendum erat. Ideo Christus dicit: *in hoc nolite gaudere, quod spiritus vobis subjiciuntur.* Etenim hoc hypocritis & impiis commune esse potest, cum piis: Sicuti hoc vobis dixi Matth. 7. v. 22. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem. Itaque Christus hic innuit, hoc gaudium, de subjectione dæmonum, non esse verum & solidum: se vero ipsis majus, justius & perfectius gaudium monstrare velle. *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* De eo vult ipsos gaudere, quod filium Dei mundi Messiam cognoverint, & per eum sint in gratia Dei singulari & peculiari, per quam facti sint cives sanctorum & domestici Dei, qui in hoc mundo habeantur pro justis, & in altera vita locum habituri sint in cælesti & æterno Dei regno. De hac æterna salute quicumque certus est, ille vere & semper etiam in media morte & quibuscunque tribulationibus gaudere potest. De hoc gaudio agit Apostolus Paulus, quando dicit Phil. 4. 4. Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete.

Atque sic Christus monstrat, quodnam verum & solidum Christianorum gaudium esse debeat. Gaudet fere mundus & exultat de rebus fluxis, caducis, incertis & instabilibus: ac proinde etiam plerumque ipsorum jubilatio desinit in ejulationem. At qui certus est de gratia & misericordia Dei: qui scit Christum suum pastorem, tutorem, & protectorem esse, ex cujus manibus nemo ipsum rapere possit: qui firmiter credit, se propter meritum & intercessionem Christi esse ex numero electorum & salvandorum, sicque nomen suum in cæ-

lo adscriptum esse: ille gaudet perenni gaudio & gaudium ipsius nemo tollet ab ipso. Johan. 16. versic. 22.

Quod vero Christus hic dicit, de *nominebus in cælo scriptis*, illud desumptum est à politica consuetudine hujus mundi. In omnibus bona constitutis Rebus publicis usu receptum est, ut eorum nomina, qui vel jus civitatis emunt, vel gratis civitate donantur, certo alicui libro inscribantur, & in matriculam (ut vocant) urbis referantur. Non quod in cælis ejusmodi libri repositi asserventur: sed quod allusione quadam res divinæ & cælestes per mundanas aliquo modo nobis adumbrentur. Horum librorum mentionem facit Moses. Exod. 32. v. 31. Daniel. cap. 7. v. 10. & 12. 1. Item Johannes. Apocal. 3. v. 5. & 20. v. 12. & 21. v. 27. Librarius ergo illi proprie nihil aliud sunt, quam infallibilis & indelebilis Dei memoria, in qua ceu in catalogo quodam annotata sunt omnia, quæ ab hominibus in hac vita aguntur & geruntur. Ut enim providi gubernatores & iudices diligenter annotant res suas actas & agendas, mores item, & tam bene quam male facta suorum subditorum: ita Deus vigilans est iudex & gubernator hominum, probe memor omnium quæ ab ipsis in his terris aguntur: & in novissimo die re ipsa experiemur, ipsum ne quidem otiosi verbi à nobis prolati oblitum esse, nisi in profundo mari sanguinis Christi illud fuerit oblitteratum & deletum. In primis autem in Scripturis nobis commendatur liber vitæ, in quo scripta sunt nomina eorum, quos cælestis Pater ex mera gratuita misericordia delegit ad vitam æternam propter Christum, ob quem solum inter Dei filios adoptantur & computantur, quicumque ad æternam salutem recipiuntur. Liber ergo hic vitæ proprie est Christus Jesus, in quo Deus nos elegit ante mundi constitutionem. Eph. 1. v. 4. Quicumque ergo sunt in Christo Jesu, eorum nomina etiam sunt adscripta in cælis.

At queritur, quando & quomodo hoc fiat? Sciendum igitur dupliciter aliquem posse dici inscribi libro vitæ. Primo fit id ab æterno, secundum æternam Dei prædestinationem & electionem, factam ante mundi constitutionem. Et fundamentum hoc Dei firmum stat, habens signaculum hoc, Novit Dominus suos. 2. Tim. 2. v. 19. Deinde fit idem temporaliter, secundum præsentem Dei gratiam. Nam quando Christiani nomina sua dant Christo, in ipsum baptizantur, in eum credunt, & fidem in ipsum profitentur, tum per baptismum acquirunt jus cælestis civitatis, & inscribuntur libro vitæ, per Christum salvandi, si ad finem usque in fide perstiterint, & per eam vicerint. Apoc. 3. v. 5. Non est ergo liber ille fatalis quædam electio, in quo æterno quodam & immutabili arcano Dei decreto, certi quidam homines electi & inscripti essent, quos impossibile esset ullis peccatis rursus expungi, aut contra alios ullas ob causas in album illud referri posse. Nam Deus Mosi expresse dicit: Exod. 32. versic. 33. Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. Ergo quemadmodum per fidem in Christum, & per ipsius justitiam, credentes & baptizati inscribuntur in hunc librum: ita impii per apostasiam à fide & per alia peccata rursus se ipsos expungunt ex hoc libro vitæ. Hoc observatum necessarium est, ne salu-

tem

rem nostram extra meritum Christi & fidem ipsum apprehendentem in arcano aliquo fato & absoluta Dei electione quaramus: sed ut ductum verbi divini sequamur, quod nos remittit ad Christum, & vult, ut hunc in verbo audiamus, firma fide amplectamur, & ad finem usque; constanter ipsi adhæreamus. Qui ita perseverant, & cum timore atque tremore suam ipsorum salutem operantur: illi, quando olim libri aperientur, ex libro vitæ suo nomine ad possessionem cœlestis hereditatis se advocari experientur. Qui vero à Christo defecerint, illi delebuntur de libro viventium, & cum iustis non scribentur. Psal. 69. v. 29. Delentur autem & pro electis non reputantur, non arcano aliquo & absoluto Dei decreto, sed propria sua malitia. Et hoc est, quod Jeremias dicit c. 17, 13. Recedentes à te Domine confundentur, & in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium, Dominum. Interim tamen quando tales deficientes delentur ex libro vitæ, æterna Dei prædestinatio & electio non fallitur. Nam ab æterno ipse prævidet & præscit, quinam in fide constantes sint mansuri, & quinam defecturi. Et quemadmodum hos sinit abire vias suas: ita illos peculiari gratia, cura & favore prosequitur & in memoria sua tenet, non aliter, quam si peculiari aliquo libro ipsorum nomina inscripta essent. Et hanc singularem curam, benevolentiam atque misericordiam sui cœlestis Patris erga credentes propter Christum, propter quam gaudendum sit, Dominus Jesus hac locutione, *nomina vestra scripta sunt in cœlis*, insinuare voluit. Hæc Christo adducere placuit, simul & ad confirmandos suos discipulos, in vocatione commissæ, & ad corrigendum affectum humanum, quem in sua relatione prodidere.

Interim supervacanea est illorum disputatio, qui hanc quæstionem hoc loco agitant, utrum Collegium beatus fuerit; an Collegium XII. Apostolorum, an vero Collegium LXX. discipulorum? Et plerique in ea sunt sententia, quod LXX. discipulorum Collegium beatus fuerit collegio Apostolorum, eo quod unus ex XII. Apostolis fuerit damnatus, nimirum Judas: de discipulorum autem Collegio Christus affirmavit, *eorum nomina scripta esse in cœlis*. Verum hac de re nemo hominum, sed solus iudex vivorum & mortuorum, certum quid statuere potest. Et enim fieri potuit, ut tum temporis à Christo nomina ipsorum in cœlis scripta dicta fuerint, ob statum gratiæ & præsentem ipsorum fidem. A qua tamen si postea aliqui eorum recefferunt, (sicut Philetum 2. Tim. 2. v. 17. & Hermogenem 2. Tim. 1. v. 15. inter eos connumerant) utique etiam ipsorum nomina ex libro vitæ, non minus quam Judæ, expuncta sunt. Deus enim nullius debitor est: omnes sollicitè ita ambulare debent, ut per fidem, per quam habuerunt accessum ad Deum, etiam in gratia Dei stent, & gloriantur in spe gloriæ filiorum Dei. Rom. 5. vers. 2.

III. Postquam Dominus discipulos de gaudio suo correxit, & admonuit qua de re ipsi potissimum gaudere debeant: ipse nunc quoque commode cum discipulis gaudens gavissus est. Dicit enim Evangelista, ipsum *Jesum in eadem hora exultasse spiritu*, hoc est, toto animo gavissum esse,

& gaudium illud suum, non tantum verbis, sed etiam gestu, vultuque testatum esse. Hoc enim vult illud verbum *ἀγαλλιάσθαι, exulto*. Ac proinde, qui hæcenus ab exitu ex templo Hierosolymitano se privatim continuerat, & quasi delituerat, ille jam prodit in publicum, suæque lætitiæ fructum etiam ad alios per sanam doctrinam devenire cupit. Fuit autem hoc Christi gaudium multum dissimile à gaudio discipulorum. Hi enim propterea gaudebant, quod ipsi sibi placerent in dæmonum ejectione: Dominus autem spirituali gaudio gavissus est, non propterea, quod dæmones *nomine suo* subicerentur, ex quo sane namini ipse multum accessit gloriæ: sed propterea, quia hi discipuli, utcumque coram mundo simplices & parvuli, *ὄπισθο* & insipientes habeantur: tamen & ipsi Jesum pro filio Dei & Messia agnoverint & per suam prædicationem etiam alios ad veram salutis cognitionem adduxerint. Hinc vero *in spiritu* porro prospicit, quam illustrem propediem habiturus sit Ecclesiâ, quam ex Patris sui benignitate ministerio Evangelicæ prædicationis, ex obscuris quidem & nulla humana præ eminentia turgidis, omni tamen virtutum & pietatis genere ornatis hominibus sit collecturus. Atque sic re ipsa præstat, quod modo verbis discipulos docuerat: ostendens qualem debeat esse piorum gaudium, quod non consistat in rebus externis & evanidis, nec in iis, quæ nobis sunt honorifica, sed in speciali cura & gratia Dei, qua multorum hominum *nomina scripta sunt in cœlis*, sicque illi per cognitionem Dei adducantur ad æternam suam salutem. Et ut omnibus constet, ipsum non carnali gaudio exultare, disertis verbis cœlesti suo Patri pro his omnibus gratias agit: *Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ*, &c. Hanc gratiarum actionem licet etiam supra c. LVI. hujus Harmoniæ, ex II. c. Mat. v. 25. sufficienter (ut spero) exposuerimus: ejusdem tamen summam hic repetere libet, quia appositissime hoc loco collocata est.

Deus jam post lapsum nobis hominibus est absconditus. Inhabitat enim lucem inaccessibilem. 1. Tim. 6. v. 16. & nos natura in rebus cœlestibus nihil intelligimus: sunt nobis stultitia. 1. Cor. 2. v. 14. ignoramus Dei tam essentiam quam voluntatem. Ut recte de eo Jesaias dixerit c. 45. v. 15. Ver tu es Deus absconditus. Et Joh. 1. v. 18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, enarravit nobis. Ideo etiam hoc loco dicit Christus: *nemo novit quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit filius revelare*. Utitur verbo *δοῦναι ἄποφασι*, quod significat detegere, & sublato velamine conspiciendum præbere. Dominus dixit ut habitaret in nebula, ait Salomon 1. Reg. 8, 12. Hanc nebulam tanquam velamen Christus sol justitiæ luce sui Evangelii removeret. Unde etiam doctrina ipsius dicitur illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2. Cor. 4, 4. Et ne quis putet, fillum non omnia scivisse, ac proinde nec omnia revelasse, addit: *omnia mihi tradita sunt à Patre*. Quemadmodum autem ipse omnia accepit: ita etiam omnia nobis revelavit. Unde Apostolis dicit Joh. 15, 15. Jam non dico vos servos: quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia, quæ a Patre meo, nota feci vobis. Et quidem Dominus Jesus in superiore disceptatione, quam in templo habuit cum Judæis, fideliter etiam

ipsis

ipsis revelavit, & quis ipse esset, tanquam filius & quis esset Pater. Verum Pontifices, Pharisei & Scribæ, tanquam σοφοὶ καὶ σπουδαῖοι, sapientes & prudentes hujus mundi, non tantum non susceperunt ipsius verbum, sed & eidem contradixerunt, contradisputarunt, convitiis prosciderunt, & tandem arreptis lapidibus hunc doctorem ex templo expulerunt, iis ipsum obruituri, nisi cederet. Sicque etiam simplices, qui versu 30. in eum crediderunt, non leviter turbarunt.

Quid ergo? Num propterea Christus privabitur omnibus sectatoribus, nec ullum inveniet, qui credat in eum? Num Deo cœlum suum vacuum manebit, cum Pontifices & Pharisei illud aspernentur? Nequaquam. Nam redeunt LXX. discipuli, & referunt, non tantum quid ipsi in nomine Christi, cujus legatione fungebantur, effecerint, sed etiam quomodo dæmonia ipsius nomini cedere coacta fuerint. Hic Christus Spiritu exhilaratur, & cœlesti suo Patri, Domino cœli & terre confitetur, hoc est, gratias agit, pro felici Evangelii sui successu, quod suum locum invenit, si non in Pontificia & regia urbe Hierosolymitana, certe tamen in circumjacente regione.

Sed dicat quis: Quinam sunt hi LXX. discipuli & qui ipsorum prædicationi fidem habuerunt, collati ad Pontifices, Phariseos, Scribas & Judæos Hierosolymitanos? Respondet Christus ipse: sunt *ἄσφατοι, parvuli, infantes, simplices, idiotæ & coram oculis sapientum mundi stolidi a felli.* Sed hoc Christum non offendit: nec propterea eos abjicit, sed Patri suo pro his confitetur, atque gratias agit. Et quoniam sic complacitum est coram ipso, ut magnatibus simplices ipsi associet, sibi quoque idem placere patitur? Cur vero Deo sic complacitum est, illam notitiam abscondere coram sapientibus, & revelare parvulis? Num illis invidet salvificam suam notitiam: Nequaquam: quin vel invitis in superioribus eam ingestit Jesus. Sed quia illi fastidiunt simplicitatem cœlestis doctrinæ, idcirco perditio ipsorum ex ipsis. Os. 13. versic. 9. Si ipsi quoque desiderassent salvificæ hujus doctrinæ participes fieri, utique Deus eo beneficio ipsos non defraudasset. Nunc cum sapientiam Dei execrentur, quid mirum ipsos suæ cœcitate relinqui? Nam petenti dabitur: & qui habet, ei dabitur & abundabit. Qui autem non habet, etiam auferetur quod habere videtur. Matth. 13. v. 12. Quod ergo Evangelium Christi absconditum fuit Phariseis & Scribis, id inde factum, quia Deus hujus seculi, (diabolus, cujus filii erant, ut Christus ipsis objecit,) excæcavit illorum mentes, ne irradiaret ipsis lumen Evangelii gloriæ Christi. 2. Cor. 4. v. 4.

Facit ergo Christus ipse hic *ἀντίθετον* inter Pontifices, Phariseos ac Scribas, sapientes & prudentes, suos hostes, & inter suos discipulos parvulos & testatur, se satis probe contentum esse, quod juxta beneplacitum cœlestis sui Patris tantum pusillus grex ad se colligatur. Ut enim olim 1. Samuel. 22. v. 2. ad Davidem convenerunt tantum ii, qui in angustia erant constituti, & oppressi ære alieno, atque amaro corde, dum is à Saul rege & ipsius aulicis persecutionem sustinuit, ita cœlestis hic noster David, lætatur & exultat spiritu, quando pii, pauperes, humiles & simplices ad

ipsum aggregantur, ut maxime Prælati & magnates ipsius Evangelium prænimia sua sapientia & superbia fastidiunt.

Ex his omnibus nos hoc addiscamus, ne de controversiis religionis Christianæ judicemus, ex aspectu & respectu personarum. Fieri enim potest, quod superlativi, hoc est, doctissimi, sapientissimi, ditissimi, potentissimi & summa autoritate præditi, summi etiam sint Christi, ipsius Ecclesiæ, verbi & Sacramentorum hostes, dum interim simplices Positivi, qui nulla sive carnis sive mundi prærogativa gaudent, Christo firmiter adherent. Ideo etiam Paulus. 1. Corinth. 1. versic. 26. monet, ut vocationem nostram diligenter intueamur, siquidem non multi sapientes, potentes & nobiles secundum carnem vocati & electi sint, sed stulti, ignobiles & contentibiles, ut ne gloriatur ulla caro. Addit quoque hoc consolationem, quod propterea Deo cœli suum nequaquam vacuum, aut anseribus replendum, relinquitur, si maxime hujus mundi magnates cœlestem ipsius sapientiam aspernentur. Nihilominus tamen Ecclesiæ suæ relinquet aliquod semen, vel saltem ex parvulis, ne quasi Sodoma fiat, neve Gomorrhæ assimiletur. Jes. 1. 9. Quapropter nullus ministrorum cum Jesaia. 49. v. 4. conqueratur: in vacuum laboravi sine causa, & vane fortitudinem meam consumsi. Nullus auditorum cum Helia dicat. 1. Reg. 19. v. 10. derelictus sum ego solus. Siquidem Deus vel ex lapidibus sibi filios excitare potest. Neque verbum quod egredietur de ore ejus ad ipsum revertetur vacuum, sed faciet quæcunque voluerit, & prosperabitur in his ad quæ mittet illud: Jes. 55. versic. 11. ita ut & ipsi occasionem habituri simus in novissimo die hoc nomine cœlestem Patrem celebrandi.

Post hanc gratiarum actionem publice ad cœlestem suum Patrem factam, convertit se Christus ad discipulos & *ἰδίαν* seorsim, à populo aversus, ad ipsos dixit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videris.* His verbis proponit alteram *ἐπιθεσίαν*, qua suos discipulos non amplius obstinatis Judæis opponit, sed inter se confert ipsorum statum, & statum Prophetarum ac Regum Veteris Testamenti. Nam multi Prophetæ & reges voluerunt videre, quæ discipuli viderunt, sed non viderunt, & audire quæ discipuli audierunt, & non audierunt. Omnium piorum Patriarcharum, piorum Regum & Prophetarum desiderium fuit ardentissimum, quo Messiam expectarunt, exoptantes videre filium Dei in carne. Hinc Eva prima parens, primum enixa filium præ gaudio exclamavit: Possedi virum Deum. Genes. 4. v. 1. Idem desiderium de Davide legimus 2. Samuel. 7. versic. 18. & de Jesaia cap. 64. versic. 1. & de aliis alibi. De Abrahamo quidem Dominus nuper Johan. 8. versic. 56. pronuntiavit, quod viderit diem suum, & gavisus sit. Ibi vero Christus locutus est de spiritali visione: hic vero loquitur de visione corporali. Ubi certe omnes Patriarchæ in magna parte felicitatis suæ posuissent, si Messiam incarnatum videre ipsis licuisset, prout discipulis id obtigit. Si enim regina Saba beatos prædicavit viros & servos Salomonis, qui semper starent coram ipso, & sapientiam ipsius audierunt: 1. Reg. 10. v. 8. quanto magis discipuli Christi beati prædicandi fuerunt, qui

qui quotidie *audierunt* divinam & salvificam ipsius sapientiam, & *viderunt* cœlestia ipsius miracula. Certe plus ibi fuit quam Salomon.

Recte ergo ex hoc loco, (quem etiam Capit. LXL. ex Matth. 13. v. 16. habuimus) concluditur triplicem esse aspectum vel intuitum Christi. Unum corporalem, qui fit oculis carnis, & per se non beat: per accidens autem fortius damnat. Qualiter Dominum Jesum videre Hannas, Caiphas, Herodes, & ipse quoque Pilatus. Hæc visio ipsis ad majorem damnationem verget, quia videntibus oculis fuerunt cæci, & audientibus auribus surdi. *Jes. 6. v. 10.* Alterum spiritualem, qui fit oculis fidei, & solus beat. Qualem habuit Abrahamus, *Johan. 8. vers. 56.* & nos omnes, qui fidei & charitatis oculis Christum videmus, colimus & adoramus, dum in eum Deum & hominem mundi Redemptorem credimus. De hoc Christus Thomæ dixit, *Johan. 20. v. 29.* Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt. Tertium, & spiritualem & corporalem conjunctum, qui beatitudinem in homine auget, & quasi conduplicat: dum utrisque oculis & carnis & fidei Christum Salvatorem videt. Et de hoc aspectu sive intuitu Dominus in præsentia loquitur, atque in signe Patris sui donum esse testatur, quod discipuli præter corporalem visum etiam spirituales oculos habeant, quibus ipsum Dei filium & promissum mundi Messiam esse agnoscat & suscipiant, sicuti Petrus Matth. 16. v. 16. publice id confessus est. Quod item præter corporalem auditum etiam spirituales aures habeant, quibus agnoscant ipsum habere verba vitæ æternæ: sicuti idem Apostolus Petrus professus est. *Joh. 6. v. 68.*

Hic ergo se aperit illa doctrina, de qua diximus, quod nimirum Christus hic doceat, in quo consistat vera beatitudo. Naturaliter omnes appetimus felicitatem: nec potest mens hominis tranquilla reddi, aut conquietescere, donec illam consequatur. Hinc inter mundi Doctores sive Philosophos tam variæ ortæ sunt sententiæ. Alii eam in voluptatibus, alii in opibus & divitiis, alii in eruditione clara, alii in virtutis studio, alii in auctoritate & eminentia coram mundo eam reperire: & qui tale quid in excellenti gradu consequuti essent, hos felices prædicarunt. De eo etiam Psalmus 144. v. 12. testatur, quod cum populum beatum dixerint, qui multos filios & filias numerent circumornatas, quorum promptuaria sint plena: in quorum plateis non sit ruptura, nec egressio, nec clamor. Sed revera hæc omnia sunt vanitas vanitatum: & illi, qui beatitudinem in hisce fluxis & mundanis rebus posuere, vel tandem proprio judicio agnovere, se à veritate aberrasse. Neque enim pro vera felicitate quicquam habendum est, quod non animum hominis ex toto & in solidum tranquillet, ita, ut nihil præterea appetat. At vero in mundanis illis omnibus, sive voluptatibus, sive opibus, sive aliis, locum habet illud vulgare: Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Docet ergo hoc in loco cœlitus ille declaratus mundi Doctor, veram beatitudinem non esse quaerendam in vanis illis larvis & fallacibus rebus, quæ cum mundo hoc perituro pereunt; sed in spirituali visione Christi, hoc est in

vera agnitione Dei & Messia. Exemplo ergo discipulorum monstrat, *beatos esse*, non eos, qui multos habent auri argentique acervos; nec eos, qui in dignitatibus vivunt: multo minus illos, qui voluptatibus indulgent: sed qui cum discipulis habent *oculos videntes* Christum, huncque mundi Salvatorem agnoscentes. Nam qui filium novit: idem etiam patrem novit. Hoc fundamentum felicitatis etiam alibi monstrat, ut cum dicit, *Johan. 17. vers. 3.* Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Item *Jerem. 9. v. 23.* Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia Ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & judicium, & justitiam in terra. Hæc enim mihi placent, dicit Dominus. Et *Sap. 15. vers. 3.* Domine Deus, te nosse, est consummata justitia: & scire justitiam & virtutem tuam radix est immortalitatis.

Cæterum, quia Christus hanc beatitudinem *non idcirco seorsim* adscribit discipulis, qui veram ipsius & Dei cognitionem consecuti erant: ideo innuit omnes illos, qui cognitionem Dei habent, diversam à cognitione discipulorum, à beatitudine aberrare. Judæi & Turcæ hodie quoque gloriantur de cognitione Dei. Verum, quia destituuntur cognitione Christi: eorum cognitio non est salutaris. *Nemo enim novit Patrem nisi filius, & cui filius voluerit revelare:* sicuti Christus in præcedentibus sui & Patris cognitionem conjunxit. Papistæ gloriantur se & Patrem & Christum novisse, atque propterea se veram Dei notitiam ad salutem deducentem habere. Sed optandum foret illos diligentius expendere, qualisnam sua sit notitia Christi. Est enim tantum notitia nominis, non rei. Etenim veram beatitudinem & felicitatem non quaerunt apud unum & solum Christum, verum modo apud statuas Sanctorum, modo apud bullas indulgentiarum, modo apud ceremonias Ecclesiasticas, modo apud alias creaturas. Unde etiam conscientias suas iis non possunt tranquillare reddere: Sed quando omnia tentarunt & fecerunt, quæ ipsis à capite suo Pontifice Romano sunt præscripta, vel tandem eo inclinant, quod patienter poenas purgatorii ad aliquot annos sustinere velint, donec residuæ peccatorum reliquiæ & scoriæ penitus expurgentur. Hæc enim est illa aqua, ex qua qui bibit, sitit iterum. Qui vero bibit ex aqua, quam Christus propinat, non sitit in æternum. *Johan. 4. vers. 3.* Quoad Calvinianos, illi quoque profitentur se novisse Christum. Sed, quæso, quæ hæc est notitia Christi, ipsi in omnibus contradicere? Quando Christus dicit de pane cœnæ, hoc est corpus meum: ipsi dicunt, non esse corpus Christi, sed figuram corporis, aut ejus meritum. Quando Christus dicit, Ego (Deus & homo) sum vobiscum omnibus diebus: ipsi dicunt, eum secundum humanam naturam abesse. Quando Christus ad se vocat OMNES, ut reficiantur: ipsi dicunt non omnes vocari, sed tantum certum numerum ab æterno arcano Dei decreto ad id electum & prædestinatum. Quando Christus flet super Jerusalem, dolens de ejus interitu: tum ipsi dicunt,

cunt, ab extra quidem ipsum flere, ab intra autem urbis interitum velle & ordinasse. Deus clementer avertat, ne nostræ Ecclesiæ in hanc Christi notitiam (vel ignorantiam potius) unquam consentiant. Nos potius in eo elaboremus, ut in ea Christi cognitione, quam nunc ipse beneficio in nostris Ecclesiis habemus, constanter perseveremus, & in eadem crescamos ac proficiamus. Sed eam nemo habere potest, nisi cui Pater & filius revelarint, ut in præcedentibus Christus dixit. Nam caro & sanguis talia non suggerunt, ut Christus Petro dixit, Matth. 16. vers. 17. imo iudicium rationis, in cognitione Christi, sub ejus obsequium est captivandum. 2. Corinth. 10. vers. 5. Quod si Pontificii & Calviniani fateri addiscerent,

facilius de cognitione Christi nobiscum convehirent. At necesse est, ut Pater, qui in cœlis est, illud revelet. Hoc vero non facit immediate, per aliquem arcanum & violentum raptum: sed mediate per verbum. Hoc enim est ministerium Spiritus sancti, per quod dat illuminatos oculos & fidem. Roman. 10. vers. 17. Auditui autem addendæ sunt piæ preces, quibus Deum rogemus, ut det nobis vias suas agnoscere, & in illis ambulare. Nam qui petit, accipit: & qui quærit invenit. Matth. 7. vers. 8. Ideo sapientia cœlestis dicit Proverb. 8. vers. 17. Qui mane vigilant ad me, invenient me: & vers. 35. qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Hæc de beatitudine discipulorum.

CAPUT CV.

CONTINENS DISPUTATIONEM LEGISPERITI, QUI
BEATITUDINEM IN LEGIS OBSERVATIONE SITAM
ARBITRATUR: SED PARABOLA SAMARITANI
CHRISTUS DIVERSUM EVINCIT.

LUCÆ 10. v. 25.

RATIO ORDINIS.

Liximant quidam non posse certo constare, quo tempore & quo loco hæc historia acciderit: siquidem Lucas in hisce capitibus tantum miscellanea scripserit, & multa sine ordine commemorarit, prout memoria ipsius occurrerint. Quod ego non libenter affirmarem. Neque enim Spiritus sanctus, cujus ductu Lucas Evangelium suum scripsit, *ἀτάκτως* sed *ἐντάκτως* amat. Proinde hanc historiam præcedentem optimo ordine sequi, & sequentes convenientissimo ordine antecedere assero. Nam & ipse Lucas continuationis notationem indicat particula, *ἔτι ἰδὲ, & ecce*. Quasi diceret. Cum Dominus post reditum LXX. suorum discipulorum, rursus in publicum prodisset: & primo quidem de effectu Evangelicæ suæ prædicationis graviter disseruisset: Postea vero cœlesti suo patri pro sui manifestatione ad salutem mundi ardentibus gratias egisset: ac tandem *seorsim*, à multitudine plebis inconstantis averfus, & *ad discipulos conversus*, ipsos & alios, qui non minus quam discipuli, oculos facultate illa Christum videndi præditos haberent, magno affectu *beatos* pronunciaisset: atque hæc omnia tanta gravitate & majestate peregisset, ut merito terreri debuerint, qui hæcenus, propriæ sapientiæ fiducia inflati, sese ipsi opposuerunt. Usque adeo tamen apud obstinatam Judæorum Hierosolymitanorum turbam nihil profecit, ut *ecce* præter omnium expectationem *legisperitus quispiam*, contra Dominum de his tantis mysteriis disserentem, insurgere, eumque captiosa quæstione aggredi ausus fuerit, si quo modo eum irretire & apud populum invisum reddere posset. Sic ergo ordinis notatio apud Evangelistam manifesta est.

Potest autem hæc ipsa confirmari altera notatione ex Christi ad legisperitum rêsponse de-

sumta, & ad superiorem disceptationem, quæ in templo acciderat, collata. In ea disceptatione Pharisæi Jesum convitio *Samaritani* notarant. Et illic quidem Jesus convitium illud diffimulavit: hic vero quasi causam ostendit, quare id fecerit. Quia nimirum sit perantiquus ille *ישׂראל שׂמו Samaritanus* & custos Israelis, qui nec dormiat, nec dormitet, Psalm. 121. v. 4. qui jam à multis seculis *ἄγνοια φροσίν* mores ipsorum patienter sufferre, Actor. 13. vers. 18. & ignorantias tum gentilitium Judæorum *ἄπειθεῖν* atque diffimulare coactus fuerit. Actor. 17. vers. 30. Et tamen, nisi hic ipse, per convitium ab ipsis notatus *Samaritanus*, ipsorum & totius generis humani vulnera, in solo vino & oleo ligaret, in suum diverforium intruderet, ibique eorum curam agi curaret, de ipsorum salute in æternum actum esset. Hæc adhuc Hierosolymis subsistens legisperito huic & ipsius Collegis, de *Samaritani* convitio objecto, in memoriam revocare voluit. Et quia simul meditabatur discessum *ab Hierusalem in Jericho*, apposite admodum hanc parabolam eodem direxit, eamque quasi valedictionis loco Hierosolymitanis post se reliquit, atque inde iter cum discipulis suis Jordanem versus ingressus est.

Qui hoc modo Circumstantias omnes hujus historiæ considerat & inter se confert, ille facile videt & tempus & locum, quando & ubi hæc acciderint: nimirum Hierosolymis, cum Dominus Jesus jam in proinctu stabat, inde discedere, atque Judæorum furori adhuc ad tempus aliquod cedere vellet. Nec est dubium, quin hæc historia iustum suum in Harmonia locum jam habeat.



Dispu-